

URBANUS III

PONTIFEX ROMANUS

NOTITIA HISTORICA

(MANSI, *Concil.*, XXI, col. 495)

Urbanus III, Mediolani natus, ante Lambertus nominatus, ex Mediolanensi archiepiscopo, e genere Cribellorum, statim post Lucium septimo Kalendas Decembris defunctum, miro omnium consensu electus est in pontificem anno Domini 1185, tempore Friderici imperatoris, quem ob iteratam honorum et jurium Ecclesiae invasionem iterum excommunicasset, nisi morte praeventus fuisset.

Omne suum studium ad reconciliandos Christianorum animos, qui in Syria bellis impliciti erant, convertit. Verum cum in ejusmodi procuracionibus operam luderet, et Christiani principes odiis et dissensionibus intricarentur, Soldanus, pluribus locis potitus, etiam Hierosolymam suo imperio adjecit iv Kalendas Octobris, anno postquam a Godefredo recuperata fuerat, octogesimo quarto. Ad haec, crucem Dominicam ludibrio affectam, regem Hierosolymitanum captum, et adversariorum copias versus Antiochiam directas esse intelligens, dolore percitus, in morbum incidit, ex quo Ferrariae mortuus est xiiii Kal. Novembris, anno Domini 1187, cum sedisset annum i, menses ix, et dies xxv. Ita Rogerus de obitu optimi pontificis, verius et melius sentiens quam schismaticorum fautor Urspergensis, qui dum Lucii papae mortem retulisset, haec suo more scribit : « Tunc cardinales qui cum ipso erant, de reditu suo plurimum sunt angustiati; timebant enim ab imperatore aliquam violentiam sibi inferri super electione Romani pontificis. Sane Mediolanensis archiepiscopus ipsos secure deduxit usque Ravennam, quem et ipsi in papam elegerunt, dictusque est Urbanus III, quem multi Turbanum vocaverunt, eo quod, cum esset Mediolanensis natione, in odium imperatoris volebat turbare Ecclesiam quas jam paulisper quietem acceperat; sed nutu Dei percussus interiit. Sedit annum unum, menses decem, dies viginti quinque. » Haec Urspergensis.

Hujus temporibus, anno nimirum Christi 1186, Rogerii regis Siciliae filia (quam monialem fuisse fabulosum esse probat Baronius (1) Henrico IV, regi Germaniae, matrimonio juncta fuit. VITERBIENSIS.

(1) Commentum de monachatu ejus fortasse inde excogitatum est, quod in monasterio asservata fuerit, ut, si regibus mascula proles defuisset, ipsa cum dote regni nubere potuisset.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(Philippus JAFFÉ, *Regesta Romanorum pontificum*, p. 854.)

In Urbani III bullis reperimus sententiam hanc : AD TE, DOMINE, LEVAVI ANIMAM MEAM 16, 25, 26, 28, 31, 41, 54, 59, 115, 117, 125, 134, 135, 141.

Testes subscripserunt :

ep.	Albanensis.	Henricus.	a	9 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
«	Ostiensis et Velletrensis.	Theobaldus.	a	9 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
«	Portuensis et S. Rufinae.	Theodinus.	a	9 Dec. 1185	ad	4 Mart. 1186
«	Prænестinus.	Paulus.	a	22 Apr. 1186	ad	13 Oct. 1187
«	Sabinensis, et archiepiscopus Mo-					
	guntinus.	Conradus.	a	11 Jan. 1186	ad	4 Mart. 1186
pr. card. tit.	XII Apostolorum.	Pandulfus.	a	9 Dec. 1185	ad	2 Jul. 1187
«	« S. Crucis in Jerusalem.	Albinus.	a	16 Dec. 1185	ad	9 Aug. 1186
«	« SS. Joannis et Pauli tit. Pa-					
	machii.	Melior.	a	16 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
«	« S. Marcelli.	Adelardus.	a	9 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
«	« S. Marci.	Joannes.	a	16 Dec. 1185	ad	20 Sept. 1186
«	« S. Mariae trans Tiberim. tit.					
	Calixti.	Laborans.	a	16 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
«	« S. Susanna.	Petrus de Bono.	a	15 Jun. 1186	ad	13 Oct. 1187